

Johann Tarnow Johannes Hüge

Disputatio Theologica De Perseverantia Sanctorum

Rostochi[i]: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737675136>

Druck Freier  Zugang



Vert. : F. Hugo

J. Tarnovius / 6

R. U. Chor. 1623.

Disputatio Theologica
DE
PERSEVE-
RANTIA SAN-
CTORUM;

Quam

DEO TRINUNO AUXILIANTE

PRÆSIDE

IOHANNES TARNOVIO,

a. d. IV. Octobris,

In Auditorio Magno
horis matutinis,

Publicè examinandam proponit

JOHANNES HUGO

Osnab.—Westph,

Matthæi c. 10, 22. & 24, 13.

Ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, ἔσται σωθήσεται.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

ANNO MDCCXXIII.



*Amplissimis, Clarissimis, Consultissimis,
Prudentissimisq; Viris,*

DN. HENRICO Schrader/
J. U. D.

DN. IOHANNI COTMANNO,
J. U. D.

DN. BERNHARDO à PIPPEN,
Consulibus reipubl. Osnabrugensis
dignissimis, vigilantissimis,

*Patronis & Promotoribus suis aeternum
honorandis,*

Theologicum hoc *γυμνάσιον*, in debita
observantia tesseram & monu-
mentum, sacrum esse voluit



Johannes Hugo.



Συὸ Θεῶν

THESIS I.

Regius propheta David mutuum & sincerum amorem, qui sibi cum Jonathane viuo intercesserat, indicaturus ad amorem, quo Conjuges mutuo devincti tenentur, alludit 2. Sam. 1. v. 26. ubi in hac prorumpit verba:

Doleo super te frater mi Jonatha, fuisti mihi jucundus valde, mirabilis mihi fuit dilectio tua, super dilectionem mulierum.

2. Christus Jesus, verus ille David Ose. 3. 5. Jer. 30. 9. Ezech. 34. 24. & 37. v. 24. 25. ut curvis notum faciat, qualis & quantum ipsius amor sit erga Ecclesiam, idem agit; Ob oculos nobis ponit suum amorem, producendo exemplum amoris conjugalis, in viro & uxore Eph. 5. in sponso & sponsa, incant. passim, & apud Ose. c. 2. v. 19.

3. In quo Prophetæ locotria piè considerari possunt. 1. Desponsationis perpetuitas, quando dicitur: Desponsabo te mihi in perpetuum. Quod cum dicit, profecto magnum quid dicit, fore scilicet, ut nunquam à parte suâ fœdera fiant irrita, confer Esa. 54. v. 10. Mal. 3. 6. Rom. 11. 29. 2. Sponsi munificentia & liberalitas, dum ait: Sponsabo te mihi in justitia & judicio, & in misericordia & miserationibus. Sponsa per se injusta est. Rom. 3. 9. 10. justitiæ indumento à Sponso donatur Esa. 61. 10. & per hujus scientiam illa justificatur Esa. 53. 11. In Sponsa nec minimum datur, quo in sui amorem sponsum pelliciat, sed quicquid hic amoris est, id omne gratuitum est, ex inexhausto divinarum miserationum fonte profluens. vide Tit. 3. 5. 1. Job. 4. 10.

A 2

4, Vin.

4. *Vinculi jugalis qualitas.* Sponsabo te mihi, inquit Dominus, in fide. Fidem quando exprimit, filialem cordis fiduciam requirit. Per hanc enim habitat Christus in cordibus nostris Eph. 3. 17. per hanc qui adharet Domino, unus Spiritus est. 1. Cor. 6. 17. Hac autem quamprimum destituimur, regimini Spiritus S. obicem ponendo Rom. 8. 14. eundemq; contristando Eph. 4. 30. ubi scortamur, aversati Jehovaham Ose. 1. 2. fœdus ictum solvitur, & in eum res nostra devolvuntur locum, ut non amplius simus ejus populus, nec ille sit futurus noster vers. 9.

5. Verùm Desponsationem hanc Christi Sponsicum sua spiritali Sponsa aut esse veram, adeoq; nunquam interrumpi, aut esse vanam & apparentem tantum, adeoq; nec verè fœdera pangi, contendunt Calviniani ad unum omnes, quando verè renatos & electos gratiâ posse excidere, fidem amittere, & Spiritum S. excutere, etiam si in varia peccata & scelera incidant, etiam atq; etiam pernegant.

6. Dicitis ut fidem habeas, habeto illorum ipsissima verba. Calvin. Instit. L. 3. c. 2. s. II. ut solos Electos Deus semine incorruptibili in perpetuum regenerat, ut **NUN QUAM** dispareat semen vitæ, eorum cordibus insitum: ita solidè in illis obsignat adoptionis suæ gratiam, ut stabilis ac rata sit. Et s. 12. Hoc tenendam est, quantumvis exigua sit ac debilis in Electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est, ac sigillum suæ adoptionis, **NUN QUAM** deleri ex eorum cordibus posse ejus sculpturam.

7. Beza vol. 1. Tract. Theol. p. mihi 702. ad hanc Questionem. Nunquam igitur censes Spiritum adoptionis excuti? ita respondet. Interrumpi interdum fateor in gravibus tentationibus Spiritum, atq; adeo sic nonnunquam illius in nobis habitantis testimonia sopiri, ut ad tempus penitus à nobis demigrasse

migrasse videatur. Sed **NUNQUAM** tamen penitus eripi dico, quoniam firmum esse necesse est, Dei de suis servandis decretum, ideoque suo tempore tandem, discussis carnis nebulis semper redditur latitans salutis Domini, Solis instar turbatis Electorum conscientis adfulgens.

8. In judicio Synodi Nationalis Dordrechtii habitæ sub articulo 5. de Perseverantia Sanctorum: Synodus rejicit errores eorum, qui docent, verè credentes & regeneratos non tantum posse à fide justificante, item gratia & salute totaliter & finaliter excidere, sed etiam re ipsa non raro excidere, atque in aeternum perire. Item: qui docent: verè fideles ac regeneratos posse peccare peccato ad mortem vel in Spiritum S.

9. Johannes à Münster zu Vortlage in Cane Latrante de Prædest. p. 305. Wenn es aber geschicht / daß der Glaube in den Heiligen Wancket / schwach wird vnd sich verkreucht / vnd sie dazu grewliche fälle thun / vnd in Sünde gerathen vnd waten biß an die Ohren / vnd vber den Kopff / da saget von ihnen die Schrifft / daß sie fallen / den Geist dempffen vnd beerüben / aber die heilige Schrifft saget nirgende das sie den Geist vnd Glauben gar verlieren.

10. *Sat verborum & testimoniorum productum arbitrator: verbis quid rei & veritatis subsit, dispiciendum, idque, tum per θεόςωσ nostræ ἡγτανδλω, tum ἀντὶ θεόςωσ ἀναστανδλω. Utrumque brevissime. Prius autem ea, quæ ambiguitatem futura tractationi injicere possent, removenda censemus, quàm, quæ promissimus, præstemus.*

11. Proinde probè notandum, nos non eodem loco habere Renatorum & Electorum terminum, prout ab Adversariis fieri videmus: sed illum latiore, hunc angustiore agnoscimus, quippe cum omnes Electi renati, non verò omnes renati sint Electi. Si ergo de utriusque verè distinctis instituat Quæstio, de distinctis distinctè erit respondendum, & quod

& quod res est, adfirmandum: nimirum, Electos gratia Dei excidere, fidem amittere, & Spiritum S. excutere posse totaliter ad tempus, non autem finaliter. Renatorum vero multos etiam finaliter Spiritum S. amittere.

12. Cave item sis, cum fit mentio gratiae, fidei & Spiritum Sancti, intelligas gratiam generalem, fidem historicam & assensum qualemcumq;, itemq; praesentiam Spiritus S. universalem, quâ omnibus praesens est creaturis. Neutiquam! Sed per gratiam, paternum & gratuitum Dei amorem, quo credentes in filium complectitur; per fidem, veram ac justificantem fidem, fiducialem Christi Salvatoris apprehensionem; per Spiritum S. peculiarem gratiosamq; ejus in credentibus inhabitationem intellectam volumus.

13. Hac loco moventur & abiguntur, ubi ubi peccata regnantia locum obtinent, sive in Electis, sive in Renatis aliis, Regnantia; inquam, peccata, non statim, ubi navilleviores & infirmitates suboriuntur. Etsi enim & haec peccata per se morte digna sunt, juxta illud Rom. 6. v. 23. Stipendium peccati mors est, quia tamen renati illis per Spiritum reluctantur & vincunt, propter Christum illa condonantur.

14. Praemittendis ita praemissis, nunc, quàm infirmo adversariorum sententia nitatur talo, de continuata & nunquam interrupta credentium perseverantia, videamus. Quod commodissime fit, ubi primum sententia contraria orthodoxorum firmitatem immotam consideramus, tam in dictis, quam exemplis.

15. Dictum 1. esto, quod legitur 1. Tim. 1. v. 18. 19. Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, juxta prophetias, quae de te praecesserunt, ut milites in eis bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, quâ repulsâ, nonnulli cir-

ca fidem naufragium fecerunt. Fidem repellere & circa eam naufragium fieri posse perspicue asserit Apostolus.

16. Verum habere sibi videntur, quod hic excipiant. Sohnius ait: Fidem hic accipi pro doctrina fidei seu Evangelio aut doctrina Christiana, qua creditur, ut 1. Timoth. 4. 7. Gal. 3. 2. At questionem esse de fide, qua creditur Christi doctrina. Adsertionem probat ex scopo Apostoli, requirentia duo à ministro. 1. puritatem doctrina, quam incalcat, dum fidem retinendam mandat, 2. sanctitatem vitæ, quam per bonam conscientiam indicat.

17. Resp. I. Negando Adversarij asserionem. Ea enim fides directe hic intelligitur, qua possumus bonam militare militiam, ut ostendit versiculus 18. satis perspicue. At hæc est, qua creditur, & qua extinguuntur omnia ignita tela Diaboli Eph. 6. 16. Ergo ea intelligitur. Imò hæc ea ipsa, qua purificantur corda Act. 15. 9. & conscientia Tit. 1. 15. Itaq; dum bona conscientia exigitur, fides, per quam hæc est, simul exigitur. Interim non negamus consequenter veram doctrinam, ex qua per Spiritus Sancti operationem mandatur conscientia, requiri. 2. Probationem laborare fall. Oppos. Coordinata enim, ut vulgò loquuntur, non pugnant. Possunt itaq; simul requiri, qua divinitus sunt coordinata, unum scilicet primario, alterum secundario. Sic hoc loco commendata & conservata à fide, qua credimus, consequenter commendatur & conservatur, fides qua creditur, quippe qua se mutuo respiciunt, & illa hæc nititur.

18. Ludovicus Crocius L. 3. de persever. Sanctorum C. 3. p. 182. duo præterea objicit. 1. Multa naufraga recuperantur, multi naufragi liberantur & servantur. Ergo naufragium fidei facere, non est fidem prorsus amittere. Antecedens illustrat testimonio Tertulliani in lib. de poenitentia: Pleriq;
nau-

naufragio liberati, exinde repudium & navi & mari dicunt,
& Dei beneficium in salute sua conservanda, periculi memoriã
honorant.

19. Resp. Concedendo totum argumentum, quod tan-
tummodo probat, quosdam naufragorum circa fidem non perire
finaliter, quia eam recuperant, quam amiserant totaliter. In
questione autem est, quo loco sint habendi, dum naufragium
durat, num in Ecclesia vera & invisibili, & per consequens in
Dei gratia: an extra illam & hanc? Nos posterius, Adver-
sarii prius. Quod perinde est ac si dicatur, Naufragum in
mari natantem adhuc esse in navi. Deinde ab experientia
argumentamur, quod plures naufragi prorsus pereant, quàm
salventur.

20. Alteram quod ibidem objicit, est: Non posse ex
textu 1. Tim. 1. evinci, Hymenam & Alexandrum penitus
defecisse ac periiisse, sed cum offendiculo docetes ac viventes esse
excommunicatos. Jam vero omnes excommunicatos non esse
reprobos ac damnatis ascribendos, quia finis excommunicatio-
nis est Excommunicatorum salus, ut videre est 1. Corin. 5. 5.
quem Apostolo in hù duobus propositum fuisse, docet ex v. 20.

21. Resp. Esse Ignoracionem Elenchi. Questio est, An
aliqui verè fideles & sancti possint naufragium circa fidem fa-
cere, & quod huic questioni adharet: An quatenus & quam-
diu tales, sint in navi vera Ecclesia? Non de subsequente quo-
rundam resipiscencia & salute, de quã agit objectio. Deinde
illos duos non periiisse, dicitur, non probatur.

22. Planè absurdi sunt etiam illi, qui temporariam
saltem historicam, hypocriticamve fidem hic intelligi conten-
dunt. His Britanni planè sunt contrarii in concilio Dordrech-
tano p. 765. Ubi asserunt: Naufragum esse non posse, nisi qui
verè in navi fuerit. Quid? Anne etiam Paulus ad fidem
hypo-

hypocriticam incitat filium Timotheum? num fides hypocritica gignit bonam conscientiam? num illâ amissâ, hæc stare non potest? absurda & absona omnia. pone fidem temporariam, & nervum Apostolicum videbis incisum, cum fides ista temporalis in Spiritus Sancti schola non adeò sit decantata, nec ita periculosam sit istius, ac vera fidei naufragium facere.

23. 11. Ex Rom. 11. v. 20. & sequentibus per incredulitatem defraçti sunt, tu vero fide constitisti, ne efferaris animo, sed timeas. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, nequa fiat, ut nec tibi parcat. Vide igitur bonitatem ac severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem, in te vero bonitatem si permanseris in bonitate, alioqui & tu excideris. Et illi si non permanserint in incredulitate, inserentur: potest enim Deus denuò inserere illos.

24. Insigne hoc licet testimonium sit, excipit tamen Sohnius contra illud & ait: Esse in eo Ignorantem Elenchi, quippe cum Paulus loquatur non de individuis, sed de gentibus & judæis in genere, & his faciat spem novæ adoptionis in Ecclesiam, si non permanserint in incredulitate; illis minetur, si à fide desciscant, fieri posse, ut abjiciantur & Judæi denuò in gratiam recipiantur.

25. Resp. I. Negando consequentiam. Et si enim Totum & partes differant inter se, naturâ singulis propriâ, & idcirco isto respectu, que sunt illius, his tribui nequeant: tamen nil vetat, utriusque esse Accidentia quadam communia: qualia hic sunt Perseverantia & excisio. Imò de Toto si hæc dicuntur non quâ Totum, sed quâ secundum partes consideratur, multo magis ea competent partibus, quibus primariò insunt, cum propter eas insunt Toti. Deinde totum falsum est, quod inserit Sohnius, ex gentibus, quâ locum Judæorum occupare

B

pare

paverant, multos fuisse hypocritas, ad quos respexerit Apostolus in sua comminatione. Isti enim quomodo benignitatem Dei, quam severitati Apostolus opponit, judicarentur adepti, cum eam potius suam hypocrisis à se repellant, & se eam indignos faciant? quomodo vera olea & viti vera ipsi Christo insiti, rursum excidendi ex eo dicerentur, cum fuerint hypocritae, adeoque Christo inseri non potuerint?

26. III. Ex Matth. 13. v. 20. & Luca 8. v. 13. Qui super petram, ii sunt, qui, quum audierint, cum gaudio suscipiunt sermonem, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

27. Neque hoc ab Adversariorum insultu liberum, sed in hunc modum contra illud insurgunt. Temporarii non sunt veram ac salvificam fidem pradii. Ergo non possunt eam amittere. Antecedens probatur quadrupliciter. (1.) Fides temporarium nec non hypocritarum destituitur uno requisito essentiali, nempe fiducia filiali, ex qua Electi clamant: Abba pater Calvin. lib. 3. Instit. c. 2. Sect. 11. (2.) destituitur vita, quia non amant filialiter Deum, sed mercenario quodam affectu dicuntur. Idem Ibid. Sect. 12. (3.) Fides eorum non salvat. Ergo non est vera. Crocius lib. 4. de perseverantia Sanctorum p. 4. (4.) caret radice, quia similis est peritica (saligna ramescenti in urna. Ergo non est vera arbor fidei, quia essentiali parte, nimirum radice destituitur, Paræus lib. 3. de justificat. cap. 14. p. 861. & sequentibus.

28. Ad singula brevibus, & primum negamus jure Antecedens. Contrarium ex dictis superioribus luculenter demonstratum, quando audivimus ex Paulo, multos Judaeorum quondam arbori vitam Christo, veram fidem insitos, fuisse tandem excisos. Probatio prima laborat petitione principij, desumpti ex falso praesupposito, nimirum quod soli Electi sentiant gratiam Dei.

Dei aternam & verè paternam, ex qua eum filialiter invocent, Temporarios verò tantum presentem misericordiam. Obfert enim illam omnibus in Evangelio, in quo annuntiandum eis curat, se ita dilexisse totum mundum, non solos Electos, ut dederit unigenitum filium pro eo Joh. 3. v. 16. Et hoc verbum non est inanis sonus, sed potentia Dei Rom. 1. 16. Quod in omnibus temporarijs esse otiosum, probari prius debet quàm afferi. Probatio secunda eodem laborat vitio, Calvinus ipse in loco illo concedit, fidem temporariam esse similem arbori non satis altè plantata, qua per aliquot annos non flores tantum & folia emittat, sed etiam fructum ferat. Et Crocius p. 207. & seqq. concedit, temporarios quosdam aliquo modo declarare, se Spiritus Christi factos esse participes, dum partim verbis, partim factis aliquo modo Deum glorificant, quod de mercenarijs dici nequit. Vide Matth. 6. v. 2. 5. & 16.

29. Probatio tertia committit fallaciam *Accidentis*. Quod enim fides temporariorum non salvat, id non ipsius fidei essentia tribuendum, sed accidenti ejus defectui ascribendum. Probatio quarta laborat inconsequenti propter mutatum predicationis genus. *Pertica* saligna recisa ex arbore & in urnam collocata non est vera arbor, quia destituitur radice. Ergo nec fides temporaria est vera fides, quia radicem non habet? Sequi hoc negamus ex causa data: probandum enim erat prius, fidem veram & salvificam habere radicem propriè ita dictam, à Christo verò tantummodo dicitur modificatè & per metaphoram. Et quandam fidem non perseverare, non modo concedimus, sed contra adversarios tuemur. Hactenus prementes vestigia Præceptoris clariss. Pauli Tarnovij. qui plura in hanc materiam habet sat. solida.

30. Perspicuis his S. Scriptura testimonijs, exempla duo aequè perspicua subjiciamus, Davidis nimirum & Petri.

Quorum utrumq; verè fuisse renatum & Electum, non est quod quis eat inficias. Utrumq; autem fidem perdidisse & gratiã penitus excidisse, orthodoxi ex S. Literis masculè tuentur, Adversarij strenuè inficiantur.

31. De Davide res evadit manifesta hoc syllogismo, quem eã formã, quã à Clariss. D. Menzero Tom. 1. Disp. Giess. 14. th. 218. exstructus extat, ob oculos pono.

Quisquis, contempto Dei verbo, malum facit in conspectu Dei, & securè peccat, & inde filius mortis in judicio Dei censetur, is dici non potest retinere fidem, hoc est, in Deum fiduciam & Spiritum S. gratiose inhabitantem. David committens primò adulterium, & postea etiam destinato consilio homicidium, contempto Dei verbo, malum facit, in conspectu Dei 2. Sam. 12. v. 9. & securè peccat (nullam agens per menses integros decem pœnitentiam) & inde filius mortis in judicio Dei censetur v. 5. & 13. E.

32. Excipit hic Benefeldus in Lib. de perseverantia Sanctorum c. 15. Propositionem hujus Syllogismi esse falsam. Posse enim quempiam, qui Electus est, aut verè renatus, ex infirmitate, contempto Dei verbo malum facere in conspectu Dei, & securè peccare, & inde filius mortis in judicio Dei censeri, & tamen fidem Spiritumq; S. retinere. Hoc potest Electus verèq; renatus. Ratio est, quia fortior est Christus, quàm ut Diabolus per instrumenta sua, per peccata, per tentationes, per persecutiones, per seductores, possit vel unam ovium è manu ejus rapere. Invidèa siquidem est ac aterna Christi vox Joh. 10. 28. Ego vitam aternam do ovibus meis, nec peribunt in aeternum & c. verba sunt Authoris ipsissima.

33. Resp. 1. ad rationem ex Johanne allatam eam planè esse nullam, quandoquidem sermo est apud Evangelistam de Electis, deq; finali eorundem salvatione, de qua hætenus nil contro-

controversia cum Adversarijs nobis intercedit, quam nos non impugnamus, sed propugnamus. Hanc autem si quis torquere sibi presumat ad perseverantiam in gratia & fide nunquam interruptam, nec unquam interrumpendam, is sanè gravissimum errabit errorem, nec Christi effato quicquam palliari poterit. Cum enim Electi non semper audiant vocem Christi pastoris sui, nec eam continuè sequantur ut oves morigera (ut in Davidis exemplo manifestum) quod tamen ab illis requiritur v. 27. dici non potest eos in fide semel data & gratia accepta semper persistere.

34. 2. Fac syllogismum ex allegatis, & videbis, quàm graviter laboret, quippe in quo quatuor suppullulant termini. Major agit de potentia Dei Absoluta, & quid Deus eâ possit, Minor de potentia ordinata, & quid Deus eâ velit.

35. 3. Contradictiones hic non rare. Fidem scilicet retinere, & tamen securè peccare, Hoc est quod de verè renatis ac fidelibus negatur 1. Job, 3. 9. Templum esse Spiritus sancti & nihilominus ob peccata filium mortis censerì à Deo. Quasi eum, qui peccatis regnantibus se à Deo avertit, Spiritus sanctus gratosâ dignaretur inhabitatione. De ea enim hoc loco controvertitur.

36. Pergit Benefeldus ad assumptionem, & ait: Assumptionem damus totam. Atqui vero Davidem peccata hæc sua ex destinata malitia, ex tota voluntate & pleno consensu admisisse ac proinde à gratia Dei excidisse, fidemq; ac Spiritum S. penitus amisisse, id non damus. Et quare non dent, dat rationem: Mansit siquidem, inquit, in corde Davidis etiam tum, cum peccata hæc admitteret, semen fidei immortale.

37. Eandem hic audis cani cantilenam, quam Beza. longo tempore antè fuit modulatus in Coll. Mompelg. p. 73. verùm Resp: 1. dist. inter fidem historicam & salvificam. Il-

nam in Davide mansisse non negamus, hanc vero sedem sibi re-
servasse fixam ac firmam in eodem, nulla veritatis specie dici
potest. Ubiq; enim fides salvifica, ibi peccandi securitas
non habet locum. Jam verò David securè peccavit, ipso Bene-
felo teste, nec per aliquot menses de penitentia cogitavit, au-
tequam scilicet à Nathane corripereetur. Ubi fides salvifica, ibi
non est contemptus verbi. At in Davide contemptus verbi
fuit 2. Sam. 12. 9. E. Ubi fides salvifica, ibi vita spiritualis
Joh. 3. v. 36. c. 5. v. 24. Jam verò ipse David de se tulit sen-
tentiam, quod sit filius mortis 2. Sam. 12. v. 5. E. Deinde quid
est dicere, Davidem non ex tota voluntate & pleno consensu
peccatum admisisse, quàm negare, scapham esse scapham. Non
peccavit ille nolens, nulla enim apparuit ibi lucta Spiritus car-
nem reprimentis, caro dominata est. nec ignorans: omnia enim
facta sunt deliberato consilio.

38. Ne autem de semine fidei in Davide relicto que
adfirmavit, frustra adfirmasse videatur & sine omni funda-
mento, etiam scripturam citat, tria proferens loca Psal. 37. 24.
1. Joh. 3. v. 9. & 2. Sam. 12. 7. Quorum duo priores cum in ipsa
ἀνακινῶ exponendi, posterior quid pro sententia probanda pro-
bet, videamus; Mansisse semen fidei, inquit, in Davide lapsa,
res ipsa loquitur: Nathanis concione, quâ Davidi in os dixit,
Tu es vir ille mortis 2. Sam. 12. 7. adeo suscitatum est in Davide
hoc semen fidei, ut statim in confessionem criminis sui prorupe-
rit, dolori indulserit, respuerit, exclamarit; peccavi, o Deus
Tibi, tibi soli peccavi.

39. Resp. Committi hic meram principij petitionem, &
probari prius debebat, semen remansisse, quàm assumi de novo
illud resuscitatum fuisse, cum enim remansio illa non modo du-
bia, sed planè nulla sit, frustra multus est in probanda resuscita-
tione, quisquis etiam sit, qui in ea laborat. Davidi semen fidei
de

de novo fuit donatum, non enim quod non remanserat, dici potest resuscitatum.

40. Instat ex Psal. 51. v. 13. petit David, ne Deus Spiritum S. à se auferat. Ergo Spiritum S. non penitus amisit. Si amisisset penitus, certè nec ita precari, nec resipiscere potuisset. Resp. Dist. inter Davidem convertendum & conversum. Inscriptio Psalmi ostendit tum demum à Davide eum fuisse compositum, quando per seriam Nathanis concionem ad penitentiam fuisse revocatus, & per veram in Messiam fidem remissionem peccatorum consecutus; non quando in peccatis adhuc satis securus vivebat. confer cum Psalmo isto cap. 12. Lib. 2. Sam. orat igitur in psalmo illo, ne Spiritus S. à se auferatur. didicerat quippe tristissimo suo lapsu, fieri illud posse, adeoque in se factum fuisse. orat igitur ne secundo fiat. His probè consideratis etiam prosyllogismus facile exspirat. Si enim penitus amisisset, nec amissum recuperasset, certè pro Spiritus Sancti conservatione ita orare nec verè resipiscere potuisset. At Minor jam falsa, quod demonstratum.

41. Satis de exemplo Davidis, sequitur exemplum Petri, quem verè fuisse renatum, imò Electum, fatemur nos, fatentur & Adversarii. Eundem autem verè quoque fidem perdidisse, gratià excidisse, & Spiritum S. amisisse, hoc probatum damus syllogismo: Qui negat Christum coram hominibus, hunc etiam negabit Christus coram patre caelesti Matth. 10. v. 33. Luc. 9. 16. Qui negat Christum, Spiritum Christi non habet Rom. 8, 9. Qui novâ conversione opus habet, à Christo fuit aversus, quod per se clarum. At Petrus negavit Christum Matt. 26. novâ conversione opus habuit. Luc. 22. v. 32. E.

42. Hic quam varia & multa adversarii excipere soleant, passim videre est: hoc loco recensere omnia non nostrum est, ea duntaxat videamus, qua Benefectus habet: Christi, inquit,

inquit, pro Petri fide orantis precatio nunquam fuit irrita Joh.
11. v. 42. Ergo fuit ἀδυνατον, Petrum potuisse deficere.

43. Resp. Ad Majoris ommissa consequentiam, eam concedendo, si de finali: negando verò, si de totali ad tempus defensione accipiatur: de hac autem est Quæstio. Petri vero fidem totaliter defecisse patet, cum ex conversione, de qua Christus ibid. v. 32. (Et tu conversus) tum ex absurdo contrario. Si enim petisset Christus, ut in abnegationem externam prolapsus in corde retineret fidem, petisset ut hypocrita fieret, sibi Matt. 10. v. 32. & Apostolo Rom. 10. v. 10. contradixisset. Deinde nec Minorem simpliciter admittendam, sed distinctione limitandam judicamus. Distinguendum enim inter ea, quæ Christus absolute & sine conditione, & inter ea, quæ cum conditione à Patre suo cælesti petiit. In his semper exauditus, in his non item. vide Matt. 26. 39. Luc. 22. v. 42. Psal. 22. 3. Quæ loca conciliari non possunt, nisi hac adhibitâ distinctione.

44. Verum habet quod regerat. Quia Christus non dicit, ne deficiat finaliter fides tua, sed simpliciter, ne deficiat Ergo statuimus, inquit, Adversariorum (putâ orthodoxorum) interpretationem per particulam Finaliter pugnare cum verbis Christi, insignemq; esse verborum Christi depravationem.

45. Resp. Adversarium hic prodere insignem iudicii depravati notam. Fatemur, Christum non dicere, Ne deficiat fides tua finaliter, scilicet ἀπὸ τῆς ἐξῆς & explicitè. Ergo planè non dicit? minimè. Dicit idem, sed implicitè & quomodo per bonam ἀνάγνωσιν idipsum ex verbis Christi deducatur, patet ex responsione ad primam instantiam datâ th. 42.

46. Pergit, ἐκλείπειν est prorsus deficere: & illud prorsus seu ἐν in verbo ἐκλείπειν refertur non ad tempus, sed ad rem, quæ deficit, quocumq; id tempore fiat. Ergo malè pro finali defectu concluditur.

47. Resp.

47. Resp. I. Committi hic fallaciam oppositorum, quandoquidem τὸ ἐκλείπειν ad utrumque, tum ad rem, tum ad temporis circumstantiam referri potest ac debet. In contrarium, quod concludat, nil profertur. Deinde ἐκλείπειν esse prorsus deficere, haut agrè fatemur, si τὸ prorsus referatur ad ipsum subjectum, nimirum ipsam fidem, qua prorsus amissa fuit, non verò si pro notatione adjuncti temporis ponatur. Petrus enim hoc modo non prorsus, sed ad tempus fidem amissam per veram recuperavit penitentiam. Denique observa: in S. Literis illud fieri negatur, quod factum, mox quasi infectum redditur. Sic Mat. 9. v. 24. Non est mortua adolescentula: non quod revera non esset mortua, sed quia talis non diu permanens. Applica. Rogavi ne deficeret, non, ut planè non deficeret, sed ne in defectu diu perseveraret. Verùm hac sufficiant hoc in loco, alia de hac materia vide apud alios. Etiam Græcis dicuntur deficere seu ἐκλείπειν, qua non prorsus ita deficient & ad omne tempus, ut, de animo, lumine solis & Luna &c. liquet.

48. Dicta & Exempla thesini nostram confirmantia, numero quidem paucissima, sed vi & efficaciam validissima, vidimus, que contra quid ἐπεροδῶν machina queant, pariter demonstravimus: restat ut fundamenta quedam, quibus sententiam suam contrariam immotè superstructam arbitrantur, consideremus. Et primum quidem ea, qua in Judicio Synodi Dordrechtana expressa leguntur,

49. Primum desumitur ex Rom. 5. v. 8. 9. Est Christus pro nobis mortuus, quòd adhuc essemus peccatores. Ergo multò magis nunc justificati sanguine illius servabimur per eum ab ira.

50. R. Argumentum laborare fall. à Dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Servatum nos iri per Christum adfirmat Apostolus: Sed num absolutè, num immediatè? non hoc ait, sed potius contrarium innuit cap. eodem v. 2. contigit nobis ut fide

C

in

in gratiam perduceremur, ita & per eandem in gratia ad salutē
conseruamur 1. Pet. 1. 5. Hac autem quia multi renatorum ex-
cidunt, non seruantur, sed pereunt; Hanc licet Electi ad tempus
amittant, quia tamen eam per veram penitentiam recuperant,
seruantur & saluantur. Horum itaq; respectu dictum Pauli-
num de finali saluationis certitudine, non de nunquam inter-
rupta conseruationis continuatione intelligi potest, ac debet.

11. Ex 1. Job. 3. 9. omnis qui natus est ex Deo, peccatum
non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest pec-
care, eo quod ex Deo natus est.

Resp. 1. Verè ab orthodoxis distingui, in stylo Iohannis Epi-
stoli co, inter peccatum habere, & peccatum facere. Illud simpli-
cem humane infirmitatis lapsus, hoc verè peccandi studium,
denotat. Apriori nec ipsos renatos & electos immunes adfirmat
Apostolus c. 1. 8. à posteriori eosdem alienos idem pronuntiat,
Textu non absolute sed reduplicatiuè accepto. Natos scilicet
ex Deo non peccare, quatenus ex Deo nati sint, & quamdiu se-
men Dei in illis maneat, & quatenus nati ex Deo se ipsos con-
seruant, ut est c. 5. v. 18. Verum quid hoc ad pollutos pecca-
tis contra conscientiam, nunquid illi, quatenus & quamdiu ta-
les, pro verè ex Deo natis haberi possunt? numquid in illis se-
men Dei remanere putemus? absorbum. Semen Dei est facun-
dum, non sterile, & verbum Dei est efficax & operosum, non
otiosum, Esa. 55. v. 11. Rom. 1. v. 16. Unde, in quo manet ver-
bum Dei, ille vincit malignum 1. Job. 2. v. 14. nō autem vincitur.
2. id' aduua'ō non semper sumitur pro eo, quod planè fieri non
possit, sed sapissimè pro eo, quod à iure & iustitia alienum. Sic
Matt. 6. 24. ἔδειξ' ἀδυναμίαν ἀπὸς κερταῖς δαδ' ἀν' ἑν. Et 1. Cor. 10. 21.
& ἀδυναμίαν πρὸς τὸν κερταῖς πνεύμ' καὶ πρὸς τὸν δαιμονίων, & ἀδυναμίαν
κατὰ τὸν κερταῖς μετὰ τὸν κατὰ τὸν δαιμονίων. Quā aduua-
mias specie, num facti? negat hoc Apostolus c. 11. v. 27. 29. sed
iuris.

juris. Jure enim fieri non debebat; Ita quoque in hoc Johanneo loco, Nati ex Deo peccare non possunt jure, licet de facto id se-
pissime fiat, & tales esse desinant. Unde etiam multi Calvi-
nianorum concedunt, quod renati ac electi peccent gravis-
sime.

52. III. Ex Job. 10. v. 28. & 29. ubi Christus inquit: Ego vitam
aternam do ovibus meis, nec peribunt in aeternum, neque rapiet
eas quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, major
omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei. Ad hoc
argumentum responsum est Job. 32. quae inspiciatur & adde bre-
viter: Nemo potest rapere violenter vi externam oves: sed haec
tales esse quandoque desinant seducti à diabolo fraudulentè &
consentientes ex sua malitia.

53. IV. Quod profert Johannes à Münster ex Sap. 15. v. 2.
Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem
suam. Et Psal. 37. 24. Homo cum ceciderit, non projicietur,
quia Dominus sustentat manum suam.

54. Resp. 1. ad dictum Psalmi: Agi ibi non de lapsu in
peccatum, sed in infortunium, de lapsu in arumnas & calami-
tates, quae interdum, imò frequentius pios, quam impios pre-
mere solent. Haec ergo quanta sint, nunquam tamen de salutis a-
terna praesidio ipsos deturbare possunt, siquidem virtute Dei ad
salutem custodiuntur, sed non nisi per fidem 1. Pet. 1. 5. Fidem
huic responsioni indubiam facit ipsa textus Συβέβαια. Si quis
tamen morosè tueatur & urgeat, de lapsu in peccatum verba
textus accipienda esse, is sibi satisfieri patiatur distinctione
(dextrè intellectâ) inter peccata venialia & mortalia, adeoque
sciat, non de his, sed illis verba Davidis sonare. De peccatis
enim, quae plenam animi deliberatione ac destinato consilio à re-
natis contra conscientiam designantur, longè aliter Deus ipse
statuit per prophetam Nathanem ad Davidem dicens: Tu es vir

mortis 2. Sam. 12. 7. & in Psalmo 5, v. 5. 6. quem locum nota & ex vi relatorum etiam, quod inde consequitur, infer. 2. Licet Testimonium alterum, non usq; adeo nos moveat, quippe quod dictum autoritatis non canonica, contra infinita loca, quae eam autoritatem obtinent, frustra urgeat; tamen eadem responsione, quâ prius, & hoc dictum diluitur. Agit enim de tali peccato, quo quis pollutus fiduciam in Deum non abjicit, sed conservat, quâ filius, adhuc statuit, se Deo esse curae. Quod profectò non est peccati mortalis proprium. Hoc siquidem qui committit, dicere non potest, mi Deus, tuus ego sum, ut est in dicto allegato.

55. V. Quod vehementer Benefeldus urget, citatur ex Esa. 54. 10. Montes commovebuntur & colles loco movebuntur: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis mea non movebitur. Ex quo ita argumentantur: Quibus Deus promisit benignitatem suam ab eis non recessuram, & fœdus pacis cum eis in initum non dimotum iri, si gratia Dei nunquam penitus excidunt. At omnibus Electis, vereq; fidelibus Deus illud promisit. E.

56. Resp. 1. Distinguendo inter promissa Dei & fœdera absoluta & certis conditionibus & medijs circumscripta. De his agit Esaiâ propheta, de illis vero Adversariorum in argumento $\Phi\lambda\upsilon\alpha\epsilon\iota\alpha$. En terminosum in Syllogismo quaternionem. 2. Deus hoc in loco suam in fœdere servando immotam constantiam, de qua non est questio, predicat; non vero hominum fidem esse perpetuam demonstrat, quando dicit, Benignitas mea non recedet à te, tota nimirum Ecclesia. Vide v. 1. quamdiu fueris Dei conjux v. 8. & ipse tuus vindex. Ibid. & v. 8.

57. Ad secundam responsionem excipiunt, & fidei in hominibus perpetuitatem ex textu optimè probari posse autumant, idq; hoc argumento: Si servi & filij Dei esse aliquando deserint, fiet ut Deus sine suo frustretur, impingaturq; omnipotenti imbecillitas. At posterius absurdum. Ergo & prius.

58. Resp.

58. Resp. repetendo responsum prius ad principalem syllogismum datum, negamus, *Ἀπορρηδω* consequentiam. Deus enim si absolute & immediatè suum cum hominibus fœdus voluisset perpetuum, sine suo frustrari dicendus esset. At illud nunquam sibi propositum habuit, sed fœdus mediatè conservari vult & conservari voluit, quippe quod ex parte Dei includit verbum Jer. 31. 33. & Sacramenta Gen: 17. 7. atq; ex parte nostra fidem Jer. 31. 34. tum hujus effectum, tanquam consequens necessarium, veram pietatem Gen. 17. 12. Levit. 26. 3. 11. 12. Horum igitur unum cum deest, fœdus rumpitur, non ex parte Dei, qui non mutat Mal. 3. 6. sed hominis Jer. 18. 8. 10. qui media à Deo præscripta non usurpat, nec requisita præstat: adeoq; sine, quem Deus sibi propositum non habuit, frustrari dici nequit.

59. VI. Ex Matth. 12. 20. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet. Hinc ita colligunt. Qui etiam quassati instar arundinis non confringuntur, & ut linum fumigantes, non exstinguuntur, *ἢ* à gratia Dei nunquam excidunt. At de Electis verèq; renatis ac fidelibus, hæc verificat Evangelista cum Propheta. E. Hoc adeo firmum quidam putat argumentum, ut firmatione ulteriori opus non habeat, quandoquidem nec ullus adversariorum ei quicquam unquam opposuerit.

60. Resp. Firmitatè hanc in tantam desisse infirmitatem, ut cum multi ei manus admoveere non fuerint dignati, Præses illud convulserit. Quem videat, cui lubet, in Disput. priorem partem refutationis *Ἀντὶ Τεσσα* Calvinianorum in hac controversia, continente. Committitur autem in argumento fallacia *ἐπιχειρήσεως*. Queritur enim, qualem Deus se erga præfractos, rebelles ac contra conscientiam peccantes gerat: Dicitum vero allegatum tantum exponit Christi in suo regno erga infirmos ac dociles futuram longanimitatem ac benevolentiam.

61. VII. Ex Job c. 6. v. 37. Eum qui venit ad me, nequaquam ejiciam foras. Argumentum formant tale: Quibus Christus promisit, se eos foras nequaquam ejecturum, *ἢ* à gratia Dei nunquam excidunt penitus. At Electis verèq; renatis ac fidelibus id ipsum Christus promisit. E.

62. Resp. Committi in argumento fallaciam cause solitaria. Siquidem non sola promissio est causa in gratia permanendi & perseverandi, sed requiruntur & alia subordinata. Ut videre est ex th. 58. 2. Dicit Christus

Christus quæ sit sua benevolentia, non quid hominum mereatur perfidia, dicit se venientem non rejicere: sed quid si homo ipse resiliat? Quod fieri posse ostendit Job. c. 6. v. 66. & 17. 12. Quos dedisti mihi pater, ego custodivi, & nemo ex ijs periit, nisi filius ille perditionis.

63. At excipiunt, & Judæ exemplum alienum à negotio probando statuunt, utpote qui nunquam verè crediderit, & licet Christo datus dicatur, hoc tamen non intelligendum, ac si Christo datus esset, ut per eum servaretur, ut per eum vitam ac salutem obtineret, sed ut muneri vacaret Apostolico.

64. Resp. 1. Principium hic petere adversarios, qui ex falsa præsupposita hypothese (quæ est, neminem verè, nisi Electum propriè sic dictum, credere) Judam nunquam credentem fuisse asseverant. Contrarium cum D. Hunnio in Tract. de perseverantia hoc probamus syllogismo: Qui in infantili ætate juxta Dei institutionem fuit circumcissus, is mediante Circumcisionis Sacramento beneficium regenerationis & fidei adeptus. At Judas Circumcissus fuit. E.

65. Hic B. Lutherus tanquam è diametro nobis contrarius opponitur, cujus hæc verba ex Tom. 5. operum Witebergæ editorum, fol. 203. Ego servavi eos, ne falsa doctrina & sanctimonia quaterentur & deciperentur: tantoq; studio retinui, ut ne unus quidem ex eis periret, nisi Judas filius ille perditus. Quamobrem? quia nunquam mihi ex animo adhæsit, nec serio verbum meum amplexus est: sed ideo sectabatur me, quo apud me & sub nominis mei prætextu divitias sibi cumularet, tanta tamen integritatis simulatione & fucos sanctitatis, ut ejus nequitiam nullus discipulorum persentiret.

66. Resp. B. Lutherum hic non planè indefinitè loqui, sed definitè de tempore Apostolatus, id quod oppositio manifestissimè indicat. Loquitur Lutherus de eo tempore, ex quo Christum sectari cœpit, ex quo sub nominis Christi prætextu divitias quærere potuit, nimirum quando marsupij custos erat constitutus, de quo Job. 12. 6, cap 13. 29. Et de eo tempore alicui dubium esse potest, an habuerit veram fidem nec ne? Quæ de re cum adhuc sub judice lis sit, certi quid hoc loco determinare non est necesse, sufficit nobis argumentum th. 63. propositum, quod hic repetitum esto. Porro quod inferebatur, Judam Christo non fuisse datum, ut per eum salutem obtineret, sed ut munere Apostolico fungeretur, id itidem falso

falso nititur praesupposito (meriti Christi particularitate) Et licet v. 12. cap. 17. Job. praecipue agat de datione ad Apostolatam, sciendum tamen triplicem in capite isto proponi dandi modum. Primus est ad redimendum & salvandum v. 2. Secundus ad ministrandum v. 12. Tertius ad ministrandum & eligendum v. 9. Priores duo etiam ipsi Jude competunt, non vero postremus.

67. VIII. Ex Epist. Jude vers. 3. Fides semel datur. Ergo non penitus amittitur. Resp. 1. Antecedens loquitur de fide, quae creditur. Consequens vero de fide, quae creditur. Fient igitur quatuor termini, si integrum formaveris syllogismum. Judam vero loqui de doctrina fidei patet, cum ex phrasi τῆ ἀπαξ τῶ ἀεὶ δόθειον τοῖς ἀγίοις πιστῶ. Quod doctrinae quae creditur, non fidei, quae creditur tradita doctrinae, competit. Hac enim datur & infunditur divinitus, non traditur humanitus; tum ex oppositione, quae versiculo sequenti immediate subsequitur.

68. 2. Ἀπαξ non est hoc in loco vox numeri, sed asseverationis. Sic Exod 33 v. 5. Semel descendam in medio tui. Plura huc transscribere loca non libet, quandoquidem ipse Judas nobis suppeditat clarissimum v. 5. Ἐπομνήσαι ἡ ὑμῶν βέλους ἐδίδοτε ὑμῶν ἀπαξ τὸ τὸ &c. Ubi particulam ἀπαξ, non numeri, sed asseverationis notam esse tamen clarum, quam quod clarissimum.

69. IX. Ex Eph. 1. v. 14. & cap. 4. v. 30. ita argumentantur: Si Spiritus S. est arrhabe caelestis hereditatis, quo ob signati sumus in diem redemptionis, sequitur nos semel in gratiam receptos & Christo insitos, penitus excidere non posse, secus enim Spiritus S. non esset firmum & certum salutis nostrae pignus, nutaretq; spes, quam Apostolus haberi vult insitae anchorae Heb. 6. v. 19. At prius est, quod patet ex dictis allegatis. Ergo & posterius.

70. Resp. 1. Antecedens propositionis distinguendum. Agit enim hoc de absoluta donatione illius arbae, quae prius probanda, quam assumenda fuisset, atq; sic consequentiae suae constaret veritas; non vero de conditionali, quam solam agnoscit Scriptura. 2. Prosyllogismi consequentia negatur. Licet enim nonnulli, qui carnis cupiditatibus frana laxant, & peccato mortali sese coinquinant, gratia excidant, nihilominus tamen est & manet Spiritus S. certum salutis nostrae pignus, seu, ut
Aposto-

Apostolus loquitur, hereditatis cœlestis arrhabo in diem redemptionis, quo obſignati certò sperare possumus, fore, ut promissam hereditatem consequamur, & ab his, quæ nunc nos circumstant, periculis liberemur. Sed oportet nos eum minimè contristare ut Eph. 4 v. 30. additur, & firmos stablesq; in fide permanere Col. 1. v. 23. fidem & bonam conscientiam conservare 1. Tim. 1. v. 19. & 2. Tim. 4. v. 7.

71. Reliquas Adversariorum fraudes, quibus in hoc articulo adversum nos dimicant, hic multis detegere, instituti nostri non est, eas alibi & ab aliis detectas & in claram lucem productas considerare, industriæ lectoris est. Nos agamus, quod reliquum est: Ad Patrem Domini nostri Jesu Christi nos convertentes genua flectimus Eph. 3. v. 14. qui vocavit nos ad æternam suam gloriam, ut nos fulciat, roboret, stabiliat, 1. Pet. 5. 10. opus bonum, quod in nobis incepit, perficiat, Phil. 1. vers. 6. adeoq; bonum certamen decertare, cursum consummare, fidem servare 2. Timoth. 4. vers. 7. fideiq; finem, animarum salutem, reportare faciat 1. Pet. 1. v. 9. per & propter fidei nostræ Ducem & consummatorem Jesum, Heb. 12. v. 2. Amen.


Doctissimo DN. RESPONDENTI.

DUm Bellona furit cunctis Germaniæ in oris
Quid facias? quid non? quò mala tanta feras.
Nixa Deo tandem superat fiducia victrix,
Palmæ instar surgit pondere pressa gravi:
Si modo vitentur regnantia crimina, nam mox,
Mica ubi non fidei, gratia nulla Dei.
Rectè hæc vestigas, HUGO doctissime, postquam
Alluxere tibi biblia sacra facem,
Gratulor hoc, animo hinc veniunt solatia vera,
Firmiter & tecum sic pius omnis habet:
Terrestri in patria regnent mala plurima, salvus,
Cœlestem patriam qui benè quærît, erit.

Deproperabat

JOHANNES TARNOVIUS D.

92 26



falso nititur presupposito (meriti Christi partic
cap. 17. Job. præcipue agat de datione ad Aposto
triplicem in capite isto proponi dandi modum. Pr
Et salvandum v. 2. Secundus ad ministrandum
strandum & eligendum v. 9. Priores duo etia
non vero postremus.

67. VIII. Ex Epist. Jude vers. 3. Fides sem
tus amittitur. Resp. 1. Antecedens loquitur de
sequens vero de fide, quâ creditur. Fient igitur
grum formaveris syllogisimum. Judam vero lo
tet, cum ex phrasi τῆ ἀπαξ ἀεαδοθειον το
doctrina quâ creditur, non fidei, quâ creditur
tit. Hec enim datur & infunditur divinitus, n
tum ex oppositio ne, quæ versiculo sequenti imm

68. 2. Ἀπαξ non est hoc in loco vox m
Sic Exod 33. v. 5. Semel descendam in medio tu
loca non libet, quandoquidem ipse Judas nob
v. 5. ἑπομνήσας ἡ ὑμῶν βέλοσιν ἐδίπτες
Ubi particulam ἀπαξ, non numeri, sed asser
clarum, quam quod clarissimum.

69. IX. Ex Eph. 1. v. 14. & cap. 4. v. 30
Spiritus S. est arrhabo celestis hereditatis, qu
redemptionis, sequitur nos semel in gratiam re
penitus excidere non posse, secus enim Spiritus
tum salutis nostræ pignus, nutaretq, spes, quam
star anchoræ Heb. 6. v. 19. At prius est, quod
Ergo & posterius.

70. Resp. 1. Antecedens propositionis dist
hoc de absoluta donatione illius arrba, quæ p
menda fuisset, atq, sic consequentia sua const
condicionali, quam solam agnoscit Scriptura.
quentia negatur. Licet enim nonnulli, qui
laxant, & peccato mortali sese coinquinant, g
nus tamen est & manet Spiritus S. certum sa



the scale towards document

licet v. 12.
tamen
mendum
ad mini-
mpetunt,

non peni-
tur. Con-
ni, si inte-
fidei pa-
Quod
e, compe-
manitus;
ur.

erationis-
nsscribere
rissimum
to & c.
esse tam

entur: Si
us in diem
sto in fitos,
im & cer-
ri vult in-
allegatis.

Agit enim
quam assu-
on vero de
fimi conse-
ibus frana
nihilomi-
us, seu, ut
Aposto-